

1. Alberti / Valent: / diff. de
munificentia Divina in
N. T. Lipsie, 1668.
2. Arcularij / Dan: / ~~diff. fustentem~~
theses theologice de Quæstio-
nibus a liquot controversis,
Marburgi, 1695.
3. Hunnij / Azid: / proposi-
tiones theologice de eter-
na predestinatione Filio-
rum Dei ad salutem,
francofurti, 1594.



99A 6909

DISPUTATIO PHYSICA.

*Ex secundo Aristotelis de
Anima libro*

DE SENSIBVS
EXTERIO-
RIBVS.

*Ad quam
Fauente trino Numine*

SUB PRAESIDIO
M. HENNINGI ARENTSEHE
In illustri Iulia

11. Octob:

Respondebit

JACOBVS VVEISE VVernigerodensis.

HELMAESTADII
Typis Iacobi Lucij. Anno

CID. MD.C.

*AMPLISSIMIS, PRUDENTISSI-
MIS, DOCTISSIMIS QVE VIRIS DOMINIS CONSVLI-
bus & Senatoribus inclytæ Reipublicæ VVernigrodenſis, Dominis ac
Promotoribus ſuis omni obſervantia colendis.*

Icet, Ampliffimi & Doctiffimi viri, me non prætereat, multos hoc tempore Philoſophiam eiufq; ſtudioſos vehementer ſuggillare, illorum tamen iudicia non magnopere curanda eſſe arbitror. Vt enim ea, quæ ſummi viri de eius præſtantia proferre ſolent: tacitus præteream, maximam certè omnibus vtilitatem affert: Cum enim tria præcipuè ſint, ad quæ ſoleant ſtudioſi animum applicare, videlicet Theologia, Iuris prudentia & Medicina, quid ad hæc conferat qui uis facile, qui primoribus saltè labris eam attigit, intelligere poteſt. Siquidem etiam apud vulgum increbuit, Phyſicam ad Medicinam, Ethicam ad Iuris prudentiam viam ſternere. De Theologia quid multa dicam? cum quid Philoſophiæ contemptus ſuperioribus ſeculis Eccleſiæ detrimenti attulerit, etiam tonſoribus notum ſit. Inprimis verò de anima conſideratio cum maximè iucunda, tum ad omnes etiam Philoſophiæ partes vtiliffima. Vt de Ethica saltè, quæ ad Iuris prudentiam viam ſternit, dicam; quomodo illa poterit virtutes rectè diſtribuere ſine cognitione appetitus & voluntatis? idq; ſanè ex ipſo Philoſopho apparet, qui ex hoc fonte vlt. cap. i. Ethicorum omnes virtutes derivat. Cum ergo etiam me hæc ſtudia hætenus occupatum habuerint, hæc theſes excudi curavi, quibus cum ſedulò quærerem patronos, (quod apud omnes in more poſitum videbam) nulli mihi Veſt. Amplitud. digniores viſi ſunt, vtpote quorum benevolentiam & gratiam mihi conciliare cum primis peruelim. Quare vobis Ampliffimi viri eas dedico, & vt eas à me ſerena fronte ſuſcipiatis, mei q; perpetui Mecænates & Fautores eſſe velitis, etiam atq; etiam rogo. Valete.

Veſt. Amplitud.

Addit.

Jacobus Weiſen



THESIS I.



Ab anima vegetatiua ad sentientem transeundum est, dicendumq; prius de ea aliquid incommuni, postea de vnoquoq; sensu speciatim. c. 5. 2. de an.

2. *Sensus fit cum sensorium mouetur & patitur, quia sensus est quedam alteratio. Sensitiuum enim actu non est, sed potestate, ideoq; ex se in actum prodire nequit, nisi ab obiecto actuetur, sicut combustibile propria vi non comburitur, nisi violentia externa accedat.*

3. *Omnia vero, quae patiuntur & mouentur, ab eo patiuntur quod vim efficiendi habet & actu est. At tale est obiectum, quod actu tale, contrariatur potentiae sensorij, cum omnis passio fiat a contrario, eademq; affine est, cum sensus in actum ab eo deductus est.*

4. *Obiectum igitur habet hanc vim ex sua natura, ut se per species multiplicet, & sensorio eas inurat, ne sensu agente ex parte obiecti opus sit, cum ea specierum propagatio obiecta insequatur, ut calefactio ignem. Zab. de sen. a. c. 3.*

Niph. de sens. agente

5. *Similiter ex parte sensus frustraneum est ponere sensum agentem potentiam distinctam, a potentia recipiendi: quoniam eadem potentia, quatenus cum organo complicata est, recipit speciem, ut fundamentum passionis sit organum, quatenus autem in anima radicatur, speciem receptam sentit. Suesf. de sens. ag. Vener. in Sum. de an. c. 10.*

Ioh. land 2. de an. q. 16.

6. *Non enim sensus sentientis formale principium potest esse species unita sensorio, ut explicat D. Thom. 1. p. q. 56. a. 1. quia obiectum sensu esset nobilius: Sed sicut reliquae actiones ab anima procedunt, ita & sensatio: quae respectu impressi obiecti passio dicitur, respectu facultatis sentientis actio. Conn. 2. de an. c. 6. q. 1. Tole. 2. an. q. 12. Sco. 2. de an. q. 12. 1. d. 3. q. 7. Zab. de sens. ag. c. 9.*

Tho 1. p. q. 79 a. 3. Caiet vterq; 2. de an. Alber 2. p. de hom. c. de sensu ani.



7. Verum ut potentia sensus magis elucidetur, notandum est, aliquid dici alicui inesse, quando inesse natum est, alio modo quando inest, sed prius actu secundo, tertio, quando & inest, & in actu secundo existit: Item & pati proprie dicitur id, quod ab habitu descendit ad priuationem: aliter improprie, quando a potestate in actum deducitur.

Gal. 7. de
plac. Vall.
2. cont. 32.

8. Sensus igitur primam potentiam habet a generante, in secunda autem consistit, qua sensus est, pari modo, ut intellectus, nisi, quod is suas species imbibitas, quando liber, speculari possit, sensus autem suam perfectionem accipiat ab obiectis, quae impressa actuant sensorium ita ut ex potestate corrumpatur in actum, quae corruptio perfectiva est. Auer. Tho. Philo. Them. Theophi. Tol. Pacius in com.

9. Prius quam autem ad singulos sensus descendamus, de sensibilibus agendum est, quorum triplex ratio est, nam quaedam sunt propria, quaedam communia, quaedam ex accidenti Ex. c. 6.

Academ. &
Epic.

10. Proprium sensibile est, quod non potest alio sensu sentiri, & circa quod non contingit sensum decipi, si organum probe dispositum & temperatum fuerit: medium recte affectum: intervallum debite distantiae: obiectum sensui, ut decet, oppositum. Alb. 2. an. tra. 3. c. 5. Tol. 2. de an. q. 13. Con. 2. de an. c. 6. q. 6.

Vega in
art. Med.

11. Communia sunt, quae pluribus sensibus comprehenduntur, ut motus tactu & visu sensibilis est, Et quinque recensentur, Motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Conn. q. 4.

Garb. 1. sum
tr. 5. q. 63.
Valle. 2. cōt.
c. 31.

12. Omnia haec per se afficiunt sensiterium, illique species imprimunt a se productas, sine quibus nulla fit sensio. D. Tho. 1. p. q. 55. a. 1. M. Alb. 2. p. s. de homine tr. 4. q. 14. Zab. de Sens. ag. e. 4. Con. q. 2. tam in sensu tactus quam visus, Tol. 2. de an. q. 33.

Tho. 1. q. 78.
c. 3. Tol. 2.
an. q. 14.
Conn. 2.
an. q. 5.

13. Nec de sensibilibus communibus dubitandum est, cum & illa producant species, sed non abstractas a proprijs. Color. n. ut sic, cognoscitur a visu, ut sic, at simul sub illa cognitione includitur extensio, colorem modificatum offerens visui, quae modificatio, cum ratione dissideat a colore, propriam speciem sibi vendicat. Sco. 4. d. 12. q. 3. Ioh. Gand. 2. an. q. 18. Zab. de sens. ag. c. 4. Auer. com. 65. Spec-

14. *Species autem sunt spirituales sensibilibus imagines, ab ipsis, quales sunt, resultantes, quae sensorio oblatae effectiue facultate mouent, & formaliter etiam sensibilia representant* Fons. 1. Met. c. 7. q. 1. Conn. 2. c. 6. q. 2. a. 3. Tol. 2. q. 34. Zoar. disp. 30. Met. l. II. n. 32.
15. *Tertium genus eorum est, quae ex accidenti sentiuntur, quatenus nimirum cum sensibili complicantur, ut coloratum, sonorum, calidum, per qualitates sensum mouentes cognoscuntur, in quibus saepius errare sensibus contingit.*
16. *Sed quia sensibilia propria numerum sensuum externorum pariunt, secundum eorum tenorem de sensibus agemus, initium facturi à visu, in quo Aristoteles ad sensum requisita exquisitius demonstrare potest.*
17. *Accedit, quod visus omnium sensuum nobilissimus est, & ut loquitur Plato, sumptuosissimus, qui propter suam nobilitatem plurimis ad agendum indigeat. Beneficio enim huius sensus in cognitionem aliqualem summi Dei eleuamur & artes addiscimus, ad quod auditus per accidens conducit, quatenus nimirum voces, quas audit, ex impositione hominum aliquid significant.* Picco. de vis. c. 20. Fon. 1. Met. Zoar, disp. 1. f. 6. n. 10.
18. *Visus obiectum est aspectabile, ut color, qui in eo inest, quod per se aspectabile est. Omnis autem color est motuus eius quod actus perlucidum est: seu est terminus perspicui in corpore terminato: quae definitiones coloris naturam explicant, quatenus visorij correlatiuum est, & actu color, cum in profundo latens tantum potestate color sit, quippe cum aspectum non moueat.* Zab. 1. de vis. c. 2. Conn. c. 7. q. 1. Tol. 2. an. q. 17. Pic. de visu. 2. Bodin. in theat. Valle 1. Cont. c. 25 Scal. ex. 325. f. 4. Teles. 7. c. 31.
19. *Colores autem duplices sunt: apparentes, qui nihil ferè aliud sunt, quam ipsum lumen variè refractum, & in diuersis dispositionibus praedita subiecta incidens, ideoq; euanescente lumine & ipsi languescunt: Et veri, qui reuera à lumine differunt, cum fixi manent post abscessum luminis.* Auer. Com. 67. Iand. q. 19. Scal. ex. 325. Coni. q. 2. Auic. 6. p. 3. c. 1. Caiet. ad t. 37.

20. Oriuntur autem colores, non ex primis quatuor qualitatibus eos constituentibus, sed ex lucido, perspicuo & opaco congregatis. Lucidum autem, quod ingreditur rerum constitutionem, est ignis, cuius splendor unâ cum forma ignis remittitur, ab opaco terreo, unde pro varia eius mixture varia colorum species exoriuntur: & quo magis dominatur ignis imprimis aqueo humori iunctus, eò magis ad splendorem vergit color, ut in oculis, & squamis. Zab. de vis. c. 2. Tol. 2. de an. q. 17. Alex. 1. nat. q. c. 2. Montanus & alij.

Conim. 2.
de an. c.
7. q. 3.

21. Eadem igitur ratione mediij colores oriuntur, qui aequè simplices sunt ut extremi, ideoq; facile causa patet, quomodo ab extremis dissideant specie. Auer. 6. phys: com. 32. 3. Meteo. c. de Iride. Per. 13. phy. c. 8.

Scal. ex.
325. f. 9

22. Extremi colores, ultra quorum gradus natura non procedit, quiq; maximè mouent sensum, sunt albedo & nigredo, tanquam habitus & priuatio, illisq; interiacentes numerari possunt quinq; ad quos reliqui referuntur, flauus, ruber, viridis, purpureus, ceruleus. Port de col. Scal. ex 325. f. 11. 12. Aut. l. de col.

23. Sed quia color visibilis non est sine lumine, de eo quoq; agendum est & distinguendum ante omnia inter lucem, quæ in corpore lucido est, & quia includit colorem: videtur, & lumen, quod est q. imago lucis multiplicata in successu Diaphani, & non videtur, ut quod, sed ut quo, quia non terminatur. Zab. de vis. c. 4. Zanch. l. 6. c. 2.

Piccol. de
vis. c. 3.

24. Perspicuum est, quod quidem aspectabile est, sed non per se, uerum per alienum colorem: qualia sunt, aër, aqua, non quatenus aër aut aqua, sed quatenus raritas quedam ijs inest, ut in cælesti corpore. Auer. in com. Zab. 1. de vis.

25. Eius, quatenus quidem diaphanum est, actus lumen est, quod est quasi color pellucidi, quando actu pellucidum est, ab igne vel alio lucido corpore.

Patric. 1.
panau.

26. Vnde apparet, neq; luxem neq; lucem esse corpus, quia sequeretur, duo corpora esse simul, cum lumen in perspicuo, & lux in lucido ubiq; reperiat: imò non introduceretur lumen in perspicuum sine
præuia

prævia alteratione; nec ad omnes positiones, cum vnum corpus vni loco destinetur, vt docet D. Tho. 1. p. q. 67. a. 2. ibi Caiet. Scot. 2. dist. 13. Flam. Nob. in com. 1. de ori. & int. Zab. de vis. c. 5. Picco. de vis. c. 7. Conn. 2. Cel. c. 7. q. 2. Casim. Somat. c. 10. q. 1. Tol. 2. an. q. 18.

27. Est igitur lumen accidens à lucido in perspicuo productum non tantum intentionale, respectu solis illud profundentis, sed etiam reale, respectu subiecti, cui positivè inhaeret, cum phisicas operationes præstet, quæ in ens purè intentionale non cadunt. Bacon. Scotus 2. f. dist. 13. Zab. 1. de vis. c. 6. Zanch. 1. de oper. c. 6. q. 5. th. 1.

28. Oppositum luminis sunt tenebræ, quæ nihil aliud sunt, nisi priuatio luminis in corpore pellucido: quibus dum indutum est perspicuum potestate dicitur: dum autem ille discutuntur, actu, eò quod tum transparet & colorum species ad oculos transmittit. Picco. de vis. c. 9. Scal. exe. 325.

29. Nihil autem videtur, nisi eius species per medium perspicuum ad visorium deferatur; cum visibile visorio impositum sensum non moueat per suam speciem, sed per alienam, sicut in suffusionibus oculorum patet. Laur. l. 4. Anat. q. 17. Tol. 3. de an. q. 2.

30. Medium visus sunt Elementa tria superiora propter raritatem & nonnulla mixta ad eorum perspicuitatem accedentia. Terra autem, vt lumen non recipit, ita nec peream tanquam medium aliquid videtur, vt pro deridiculo habendi sint Aquileges, qui se per terræ opacitatem aquas cernere posse fingunt. Picco. de vis. c. 4.

31. Sed quia ad visionem lumen necessarium est, dubitatio oritur, an pro solo medio vt Auerroes, an pro solo obiecto, vt Auicenna, an pro vtroq; vt Albertus censet, requiratur: vbi non tantum ad colores in actum deducendos & illuminandum medium requiri dicendum est, sed etiam ad illustrandum instrumentum, quod eadem rarione, qua medium irradiari necessum est, nimirum vt colorem actu visilem recipiat. Zab. 1. de vis. c. 11. Piccol. de vi. c. 14.

32. Hactenus de obiecto & medio visus, restat ipsum instrumentum, quod est oculus, tribus humoribus & sex tunicis, aranea, vitrea, reticula-

Tho. 1 p. q. 67. a. 3. ibi Caiet. Tole 2. an. q. 18. AEgid. 2. an. c. de visu. Piccol. de vis. c. 8. 9. Patric. in panau.

Valle. 2. Cont. c. 31.

Conim. 2. de an. c. 7. q. 8.

Auic. 6 nat. p. 3. c. 1. Auer. 2. an. t. 67. Thom. 1. p. q. 79. a. 3. ad 3. Conini. 2. an. c. 7. q. 4.

reticulari, vvea, cornea & adnata constans. Quia autē omnis actio etiam instrumentalis, à similari parte incipit, primum visus organum statuamus humorem Crystallinum, qui species recipit & sentit. Zab. de vis. 1. c. 8. Tolet. 2. an. q. 16. Vesal. l. ult. Colum. Laur. l. 4. Ana. c. 16. Conc. dif. 64 Conn. c. 7. q. 6. Auic. 6. p. 3. c. 8. Gal. 10. de v. p. 1. 2. Auer. 1. Col. c. 17. Auic. l. 3. F. 3. 1. 1. c. 1.

33. Sed quia actio animalis sine Spiritu non perficitur, istic à cerebro influit per nervos opticos, in medio discursu coeuntes, non in eum finem, ne gemina gemini oculi comprehendant, cum illi natura providentia equaliter se rebus obuertant per suos musculos; sed ut lesio uno oculo Spiritus ad alium instuat, eiusq; visio intendatur. Ves. l. ult. Laur. l. 4. q. 20. 21. Cost. & Mong. in Au. l. 3. f. 3. tr. 1. c. 2.

34. Cum igitur visio in crystallino perficiatur, & bona pars oculi humoribus absoluat, patet non rectè à Platone & Galeno positum fuisse instrumentum visus igneum, cum hic de Spiritibus, quos vocant formale oculi, sermo non sit siquidem ea ratione omnium sensilium organa ignea dici debeant. Ideoq; hoc Carpentarij & Piccolominei concilium non procedit. Zab. 2. de vis. c. 5. Auer. in par. l. de sen. & sen. Scal. ex 397. f. 3. Laur. 4. q. 18.

35. Errorem hunc alius insequitur, dum Plato flammam ex oculo profilire & externo lumini coniungi putavit, ut visio fiat: Galenus verò Spiritum eivibrari & ad rem visam pertinere, vel in medio subsistere, vel redire & rerum deducere species censuit. Nam sicut in reliquis sensibus, ita & visu, species ad sensorium deoluuntur, unde sensus dicitur passio. Quomodo enim lumen quod est accidens ex oculis ad tantum intervallum excurreret? quomodo Spiritus continebuntur ne dissipentur? quomodo sine anima sentient? Auer. 2. an. c. de vis. & para. de sens. Zab. 2. de vi. Picc. de vi. c. 17. Conc. dif. 64. Conn. 2. an. c. 7. q. 5. Scal. ex. 325. f. 5. Laur. l. 4. q. 16.

36. Sequitur nunc ut ad auditum procedamus, cuius obiectum est sonus, qui ut in actum deducatur tria requirit, corpus percussum, percutiens, & medium, quorum illud solidum esse, ut sonum edat, leue & concavum, ut facilius & melius sonet, necesse est.

Nov

37. Non autem sonum aquae & aëri denegarum volo, quamuis remissius & imperfectius multo sonent, is tamen ijs inest, quatenus ad solidorum naturam accedunt, & in cita percussione instar solidorum percutienti resistunt. Auic. 6, nat. p. 2. c. 6. Scal. ex. 297.

Thom. Aegid. Phylop hoc lo.

38. Medium auditus est aër & aqua, cum pisces in aqua sonos percipiant: Plin. 10 Hist. 70. idemq; soni subiectum est, qui generatur ex fractione aëris intermedij, ideoq; nec ipse motus est, nec ad motum immediate sequitur, ut eius terminus, sed est qualitas medio impressa à corporibus medium frangentibus. Alb. sum de homine trac. de aud. q. 5. Tol. 2. an. q. 19. 20. Conn. 2. an. c. 8. q. 1.

39. Sonus delatus per medium, ubi cum aëre à corpore solido reflectitur, Echo vocatur, nec est alius numero sonus à priori, quia à reflectente corpore non producitur, quippe, quod sit inanimum, nec articulatam vocem reddere sciat Tol. 2. an. q. 22.

40. Soni species vox est, ijs tantum animalibus propria, quae aërem hauriunt, vim significandi habens, ideoq; à phantasia concurrente editur in larynge, ubi aër repercutitur & in hiatum palati diuerberatus, à lingua, dentibus & labijs articulatur. Tol. 2. an. q. 23. Conn. 2, an. c. 8. q. 3. Auic. 3. 10. tr. 2. c. 1. ibiq; Cost. & Mong. Gal. l. de Voc: in. dis. 2. 7. V. P. Paul. 3. c. 28.

41. Quia verò sonus per medium ad instrumentum auditus multiplicatur, non necesse est realiter aërem moueri, donec auribus se innuet, sed satis est, si realis motus aliquantulum procedat & inde spiritaliter ad aures transmittatur, cum ex locis occlusis audiamus, pisces aqua immota sonum percipiant, & deniq; communia sensilia, quae realiter se non propagant, unà cum sono ad aures delabantur. Tol. 3. an. q. 21. Conn. c. 8. q. 1. 2.

Auic. de aud. Aucr. com. 78.

42. Officina auditus est auris, cartilagineis inuolucris ad retundendum insultum aëris praemunita, tribus cavitatibus intus distincta, quarum exterior anfractuosa membrana clauditur tenui & siccissima, post quam secundus sinus inuenitur, continens, tum aërem ex semine temperatum, tum tria ossicula, malleum & incudem, à

Vesalio primum descripta, stapham à Columbo additam: extremum in acutum foramen desinit, quod tertium sinum constituit.

Gal. 8. V. P. 43.

6. Vesa. 1. de
fab. c. 8. Co-
lum. 1. 1.

Laur. 1. 4. q.

25.

Tolc. 2. an.

q. 24.

43. Inter has partes auditus instrumentum est aer innatus quia membrana & ossiculorum durities spirituales soni imaginem imbiberi non potest, nec proportionem cum obiecto habet. Auer. 2. p. c. 10. 2. an. com. 83. Fern. 5. ph. 6. Vale. 2. Cont. 23.

44. Consequenter agendum est de olfactu & odore, cuius natura abstrusior est, quam coloris & soni, quia hunc sensum homo habet hebetiorem, ut nihil in hoc genere sentiat, nisi quod vehemens est, ideo odorabile, quod sentit odoratus humanus, aut ledit eum, aut voluptate perfundit. Con. 2. an. c. 9. q. 5. Auer. Com. 92.

45. Videntur autem odores ad suum organum ita se habere, sicut sapor ad gustum, nisi quod sapor in homine sit perfectior. Est enim tactus. Tactu autem homo superat omnia alia animalia, propter corporis mollitiem, quae etiam bonum ingenium praestat.

46. Sicut enim sapor alij dulces sunt, alij amari, ita & in odores haec nomina deriuata sunt, ut odorem ex croco & melle dulcem dicamus. Tol. q. 25. Auer. com. 95.

Auic. 6. nat.

p. 2. c. 5. de

od. Et. 1. 3. F.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

5. t. 1. c. 1.

47. Est autem odor qualitas, quatuor qualitatum mixturem insequens, orta ex sicco dominante humido per calorem absumto. Vnde patet errare, qui odorem statuunt fumidam exhalationem, à corporibus expirantem: cum qua licet interdum exeat odor, non tamen perpetuo. Auer. com. 97. & 101, Alb. 2. an. tr. 3. c. 21 Conn. 2. an. c. 9. q. 1. Zab. de Sens. 4. Concil. d. 155. Cost. & Mon. l. 3. F. 5. tr. 1. c. 1.

Plin. 9. hist.

c. 7. Rondol

4. de pisc.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

c. 9.

48. Medium per quod odor diffunditur est aer & aqua, cum per aërem manifestò odores sentiantur: per aquam etiam pisces odoratus explorent esculenta, qui tamen, cum non respirent, odorantur alia ratione, quam homo Conn. 2. an. c. 9. q. 3.

Gal. 4. sim.

Med. fac. c.

21. Fern. de

hu. c. 10. To-

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

le. 2. an. q. 27

49. Diffunditur odor per medium non tantum realiter in fumo situs, sed etiam extra fumum existit & esse intentionale propagat, per quod sensorium attingit. Costeus & Mong. l. 3. F. 3. tr. 1. c. 1. Hipp. l. de Carn. Ammo. com. in l. predic. Conn. q. 3. a. 1.

Sen-

50. Sensorium olfactus ait Aristoteles circa cerebrum esse, administrari autem per nares. Iam autem in cerebro peculiare partes non dantur, nisi processus mammillares, qui porosi, facile imbibant odoris speciem ad se delatam. Auic. 3. F. 4. tr. 1. Conc. diff. 45. Tol. 2. an. q. 24. Conn. 2. an. c. 9. q. 4. Laur. 4 q. 27. Col. 8. Ves. 4. c. 3. Auc. 2. Coll. 7. Val. 2. cont. Gal. de od. inst. 8. V. P. c. 6.
51. Verum quia non odoramur, nisi inspiremus, collegit Aristoteles *Ἰπικάλουμα* quoddam abscondere carunculas papillares: idq; ut odor eas attingat, subleuari Fern. 6. ph. c. 10. Garb. q. 69. Con. q. 4. Gale. Vesal. Lau. Tolet
52. Relicti sunt duo sensus magis terrestres, qui sentiunt sine medio corpore, ob obiecti crassitiem, ideoq; in illis sensibile positum supra sensorium sentitur. Vall. 2. Con. c. pen. Con. c. 11. q. 3. Tol. q. 31. Laur. 1. 4. Auer. c. 115. ibidem Caiet. vterq; Tho. 1. p. q. 78. a. 3.
53. Conueniunt enim hi duo sensus inter se, quod gustus non fiat nisi tactus precedat, reuera tamen & formaliter & secundum organum differunt. Tho. Auerr. Graci & Lat. interpretes. Vene. 2. an. t. 102.
54. Obiectum gustus est sapor, qualitas ex mixtione qualitatuum resultans, dum humidum dominatur sicco terreno, cuius species extremae sunt, dulce & amarum, quia gustum secundum extremos gradus afficiunt. Tho. de sen. & sen. le. 11. Garb. l. 1. tr. 5. q. 71. Auer. 2. an. Com. 105. 2. Coll. c. 27. Tol. q. 29. Con. q. 1. Gal. 4. sim. Med. fac. 10. Conci. di. 145.
55. Sensorium gustus lingua est, imprimis mucro, cum tamen facultas gustandi per totum palatum diffusa sit, sicut nonnullos exet a lingua gustum retinuisse deprehensum fuit: maximè tamen viget in lingua.
56. Vltimus sensus tactus est, qui non videtur esse vnus, cum multas contrarietates sentiat: reuera tamen vnus est, quia omnia obiecta materialiter discrepantia in formali ratione organum immutandi conueniunt & vnum sensum constituunt. Simplic. Philop. Fern. Tol. Conn. Card. de sub. l. 13. Auer. 2. coll. 13. & 2. de an. com. 108. Alb. & Auic. Gal. V. P. 16. 18. Fern. 5. phy. c. 6.
57. Obiectum eius sunt quatuor primae qualitates: organum illa pars, quae maximè in harum qualitatuum mediocritate consistit, quia verum organum tactus, cum qualitatibus carere nequeat, earum

Conci.dif.
43-44. Om-
nesque
Schol.

earum harmoniam precisam exposcit, ut excessus sentiat. At talis est cutis, imprimis in vola manus. Laur. 1. An. q. 7.

58. *Alio modo abusive tactus instrumenta dicimus, quae quoque modo tactilia sentiunt, & tum, quod exquisitissime aliena sentit, cor, principatum obtinet, quod reliquae partes corporis exceptis ossibus & cartilaginibus insequuntur; sed, quia obiectum in suo gradu non apprehendunt, verè organa non dicenda sunt.*

59. *Hinc patuit sensum esse qui recipiat species: sensorium quod in harmonia consistens potentiam habet ad obiectum recipiendum. Vnde vehemens sensibile, quod harmoniam violat, destruit sensum. Tho. q. de an. a. 8. Conn. 2. an. c. 12. q. 1.*

60. *Haecenus igitur quinque sensus declarati sunt, quibus plures non dari, argumento sunt animalia perfecta, quae omnibus sensibus praedita esse verisimile est, praeter quinque enumeratos tamen sextum non habent; & ad eam rem experientia sufficit, quae plures sensus non induxit, quamvis plures esse non posse, demonstrari vix queat. Alb. 2. p. sum. de ho. iv. de sen. Thom. 1. p. q. 78. a. 3. Conn. 3. de an. c. 1. q. 1. Tol. 3. an. q. 1. Aver. 129. Pac. in com. Sca. 297.*

FINIS.



99 A 6909

ULB Halle

3

003 931 315




Sb


VD 17

Reho


Hilb.







6



DISPUTATIO PHYSICA.

*Ex secundo Aristotelis de
Anima libro*

DE SENSIBVS
EXTERIO-
RIBVS.

*Ad quam
Fauente trino Numine*

SUB PRAESIDIO
M. HENNINGI ARENTSEHE

In illustri Iulia

11. Octob:

Respondebit

JACOBVS VVEISE VVernigerodensis.

HELMAESTADII

Typis Iacobi Lucij. Anno

CID. MD.C.